

res. Quem locum Massarius explicans: dixit, inquit, aestate nigriores, quia fuscipiunt colores, caerules, qui quod ad albedinem sunt obscuriores, et nigriores.

Et rursus: Maena pisculus est digitalis longitudinis, hyeme candida, aestate varia, picturis caeruleis obliquis. Quomodo autem colores mutant, in Merula ac Phycide (ni fallor) explicatum est. Testatur denique Rondeletius, cum aliquando Roma Venetias venisset, Maenas se tanta colorum varietate conspexisse, ut vix primo aspectu agnosceret, quod suo in littore minus pictae sint. Quod ad *partes internas* attinet: Maenae *hepar*, ut Bellonius observavit, fungosum ex lacteo pallescit: sub cuius lobo dextro fel luteum oblongo vasculo includitur: *Splen niger, stomachus oblongus*. Raro in Oceano capiuntur: in mari tam supero quam infero frequentes esse, nomenclaturae apud utriusque maris accolae indicant. Maenaria insula ab earum frequentia nomen sortita est. Inter herbas in littore algofo, seu ut Ovidius, in herbofa arena *viditare*, Oppiani fide tradimus. A carne non omnino abstinere, quidam prodidere. Gregales esse apud Aristotelem legimus. *Parit* bruma, vel ut Bellonius, post brumam, et omnium piscium foecundissima esse censetur. Cum foetu foemina impleri incipit, ob malignum foetorem, *τρύγος* seu *Hircus*, ut apud Aristotelem extat, dicitur. Singularem cum vespis sympathiam habere ex eo quidam colligunt, quod illae nassa, in quae maena cum Chalcide reperta est, capiantur, prodente Aeliano: singulari in Xiphias odio ferri, ex eo nonnulli, quod eam balaenae metu, gladio suo in terra haerentem, concilient, ut Oppianus testatur. In-

ter plebejos *cibos* reputantur, adeo, ut acervatim, vitato etiam emptore Venetiis vendantur, tum quod parvi sint, tum quod cum uterum ferunt, exquisiti foetoris. Unde Martialis

*Fuisse gerres aut inutiles maenas
Odor impudicus urcei fatebatur.*

et in Majali L. Pomponius Atellanarum Poeta, ut dicitur Agellio

— *Coenam quaeritat, si nemo cum
Vocat, revortit moestus ad maenam miser.*

Succi tamen bonitate Gobiis praestare Hicetius, teste Athenaeo auctor est; quod forte de iis, qui in littore petroso aut arenoso, et suo tempore capiebantur, sumendum est. Nam alias, Gobius friabili est carne, et saxatili non multo inferiore. Liquamen seu gari speciem ex ipsis fieri solitam, Plinius innuit, dum scribit: *Sal etiam e muria salsamentorum recoquitur, iterumque consumpto liquore, ad naturam suam redit, vulgo e Maenis jucundissimus*. Apud Persium quoque aliquid simile invenies, fit visceribus piscium in vas aliquod injectis, et sale conditis. *De usu in Medicina* haec habeto. Jus assumtarum alvum solvere; ut et salsas, si umbilico illinantur. Capitibus inveteratarum ustis ad sedis fissuras, et columellam inveteratam Galenum uti: ad uvam diu jacentem, cum gallae et floris aeris, denariis duobus, Marcellum Empyricum: ad Anginam cum melle illitis eundem. Plinius earundem cinerem, admixto sale et cunila, oleoque, vulvae mederi, et suffitione secundas extrahere, testatur. Cum allio tritus verrucas tollit, et verendorum pustulas discutit. In dysenteria quem praebeant Maenae usum, apud Galenum invenies.

Martial.

l. 12.

Epigr. 32.

Plin. H. N.
l. 31. c. 7.

Plin. H. N.
l. 31. c. 9.

Galen.
simpl. l. 11.

Plin. H. N.
l. 32. c. 10.

ARTICVLVS XXII.

De Smaride.

TAB. XX.
5. 6. 7.

Smarides, qui et *Marides* apud Athenaeum dicuntur, (Bellonius Graecos Anconae se convenisse scribit, qui etiam Maridas appellabant) ex Maenarum sunt genere. Vocantur et *Leucomaenides*, nempe, quia